







o Miess  
1) Schulz  
1) Witz Ch.  
1) Drum  
1) Vogt, a  
1) Hoffm  
1) Käm  
1) Bensem  
1) Schulz  
1) Diak de  
1) Richte  
1) Frank  
1) Sand  
1) Diak  
1) Mien  
1) Scho



- o Millicies, de superstitione.
- 1.) Schubz, de Cyropaediae epologo.
  - 2.) Schütz Chr. Gfr. Sectionum antiquarum spec. I, 1811.
  - 3.) Drumann, de tyrannis Graecorum.
  - 4.) Voigt, de Gregorio VII.
  - 5.) Hoffmann, de vallium in Germania directione.
  - 6.) Kämtz, de legibus repulsionum electricarum.
  - 7.) Bensemann, de undecimo axioma elementorum  
Schulze C. A.
  - 8.) Dick, de latine loquendi usu. (Euclidis.  
(Schulprog))
  - 9.) Richter, de Beroso Chaldaeorum scriptor.
  - 10.) Frankh, de diei Dominici celebratione.
  - 11.) Sang M.  
Dick, de Horatii loco sat. I, 4, 87. 88. (Schulprog)
  - 12.) Miemeyer, de Isidori Pelsioteae vita.
  - 13.) Schott, de indole linguae Sinicae.

3/2 aliv B

W





Halle, phil. Diss.

1801/1827

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
SUPERSTITIONE

---

QUAM  
PRAESIDE  
VIRO ILLUSTRIS ET CELEBERRIMO  
JOANNE AUGUSTO EBERHARD

LL. AA. MAG. ET PHILOS. DOCTORE AC PROF. P. O.  
ACADEMIAE DOCTRINARUM REGIAE BEROLIN.  
SODALIS,  
ALUMNORUM REGIORUM ET HALBERSTADIENSIS EPHORO

A. D. XVI APRIL MDCCCXI.

PUBLICE DEFENDET  
AUCTOR  
HENRICUS CHRISTIANUS MILLIES,  
DAVENTRIÆ-BATAVUS.

---

HALIS SAXONUM  
TYPIS SCHIMMELPFENNIGIANIS.





§. 1.

*Superstitio*, ait Tullius, *fusa per gentes oppressit omnium fere animos atque hominum imbecillitatem occupavit.* Verissima sane verba, quae vel sola docere possunt, quantum erroris istius naturam perscrutari tum cuiusque interfit hominis, quid ipsius genus in humanitate animique cultu sensum sensumque profecerit cognitari, tum maxime eius, qui philosophia duce in intimos altissimosque mentis humanae recessus descendere cupiat. Plurimum in super momento tali disquisitioni accedit a coniunctionis, quae inter superstitionem et religionem intercedit vinculo tam arcto, ut in populorum historia alteram semper alterius comitem, et utramque, pro ut gentes rudiores fuerunt vel cultiores, magis minusve



diffusam exultamque reperiamus. Sed quamquam — sicuti vel ex mododictis apparet — historica atque philosophica cognitio istius erroris, quo nullus invenitur qui aut latius reperit, aut graviora effecerit mala, maximam habet vim atque utilitatem; multum tamen abest ut eius natura recte constituta, fontes studiose indagati, diversae partes philosophiae lumine illustratae rationesque, quibus omnes eius stirpes funditus excindi possint, diligenter sint explicatae, ut praecipui, qui de hoc argumento scripserunt, vel sicuti *H. C. Schütz* in exemplis undecunque congerendis et diligenter examinandis acquievit; vel ut *I. F. Buddeus*, varia superstitionis ad christianum Dei cultum pertinentis, genera veteris dogmaticae theologiae trutina pensitasse; vel ut *D. Humius*, de quadam superstitionis parte eiusque vi, societati humanae exitiabili, pauca subtilia illa quidem, sed ad certum modum haud redacta differuisse videantur. Operae igitur pretium facturus mihi videor, si et superstitionis naturae fontiumque unde promanet rationem, et partium in quas discinditur viarumque eius exstirpandae diversitatem, quantum in me quidem est, diligenter exponere adgrediar.

Veruntamen cum ex loquendi usu, quem gentes observare adsolent, quae philosophando effecerint optime colligantur, ideoque in argumento quodam subtiliter disceptando multum inde hauriatur adiumenti: a consilio meo non alienum duxi, si antequam ad ipsum argumentum pertractandum accesserim, qua-

lis apud eos antiquitatis populos, qui linguarum praestantia maxime enituere, loquendi usus obtinuerit paucis explicare fuerim conatus.

## §. 2.

*Explicatur quid sit Graecorum Δεισιδαιμονία  
et Romanorum superstitio.*

Ab iis igitur ut ducam initium, qui linguae indole maxime eximia longe ceteris antecelluerunt gentibus, δεισιδαιμονίας vocabulum apud eos significat timorem deorum, uti satis apparet ex *Theophrasto*, qui eam esse ait δειλίαν πρὸς τὸ δαιμόνιον eumque qui hoc metu perterritus omnes intendit vires ad ea, quae terrorem ipsi incusserunt, arcenda superstitiosum appellat. Idem colligitur ex *Plutarcho*, qui in libello περὶ δεισιδαιμονίας — δεισιδαιμονίαν ab ἀθεότητι ita distinguit ut, licet utraque ex eodem τῆς περὶ θεῶν ἀμαθίας καὶ ἀγνοίας fonte promanent, haec tamen ullos omnino deos esse neget, illa autem versetur in opinione turbulenta et effectrice timoris quo consterneretur ac deprimatur hominis mens, ita ut esse quidem deos existimet, sed tristes illos atque noxios. Verba eius sunt haec: ἡ μὲν ἀθεότης κρίσις ἔστι φαύλη τοῦ μηδὲν εἶναι μακάριον καὶ ἀφθαρτον τῆνδε δεισιδαιμονίαν καὶ μὴνύει τὸ ὄνομα, δόξην ἔμπαδῆ καὶ θεούς ποιητικὴν ὑπόληψιν οὖσαν ἐκταπεινοῦντος καὶ συντριβόντος τὸν ἄνθρωπον, οἰόμενον εἶναι θεούς, εἶναι δὲ λυπηρούς καὶ βλάβερούς. Cum

his conferenda sunt quae sub finem libelli, qui ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπικούρου inscribitur, reperiuntur; unde praeterea apparet falsam esse recentioris cuiusdam philosophi sententiam qui discrimen, quod inter religionem et superstitionem intercedit, Graecis plane ignotum fuisse affirmet. Progrediamur ad Romanos, qui Graecorum δεισιδαιμονίαν *superstitionis* vocabulo exprefferunt, ita tamen ut eadem timoris deorum notio insit, sed plures accesserint significationes. Probabiliter Cicero verbi originem in ridicula nonnullorum hominum consuetudine, qui totos dies precabantur et immolabant ut sui sibi liberi superstites essent latere existimat. Sed deinde vocabuli significatione magis, ut fit, dilatata ad omnes, qui inani timore commoti deos venerabantur, referebatur et religioni sive cultui deorum pia castaque mente profecto opponeretur conf. Cic. de N. D. II. 28. coll. I. 17. 42. Hinc porro factum est, ut quaecunque religiones, tam vani timoris et perversae animi infractionis testes, superstitionis nomine vocatae esse videantur veluti apud Tacitum Judaicam superstitionem commemoratam reperimus Hist. II. 4. — Sed quoniam istae religiones a Romanis valde despectae nec publica auctoritate confirmatae fuerunt; latius mox prolatis vocabuli finibus, omnis religio publica auctoritate non stabilita ita appellata est. Cui quidem significationi favet ratio, quam in vocabuli origine indaganda sequitur Servius ad Virg. Aen. VIII. derivans illud a superest, ita ut superstitio sit quando in cultu ultra mo-

dum legitimum aliquid superest, sive quando cultus modum rectum superstat atque excedit. — At vero has ipsas religiones sancitas veluti anilium ineptiarum farraginem philosophi v. c. Epicurei per contentum superstitionis nomine nuncupaverunt conf. Lucret. de R. N. l. 79. Atque adeo nos, christiana religione edocti, istas Graecorum, Romanorum, Judaeorum aliarumque gentium religiones superstitiones appellare possumus, quatenus vel publica auctoritate non sancitae vel caerimoniarum ex vano deorum metu exortarum ineptiis sunt refertae.

§. 3.

*Definitur quid sit superstitio.*

Quamquam multi et veterum et recentiorum philosophorum superstitionis vim atque naturam constituere conati sunt; me tamen nullis rationibus adduci potuisse ut ulli eorum adstipularer, libere profiteor. Omnibus autem diligenter perpenſis, quidquid in istorum definitionibus a ratione et vero alienum mihi videbatur, tum maxime me devitaturum putavi, cum *superstitionem subiectivam ab obiectiva* cogitando ita separaverim, ut huius vim in errore qui est circa Dei perfectiones morales sitam esse affirmarem. A veteribus quidem non nisi *superstitio* subiectiva declarata est; qui ea in re omnes recentiones ad nostra usque tempora imitatores habuere. Peccatum vero est

ab utrisque in eo etiam, quod superstitionem istam *subiectivam* ad timorem tantum retulerint, quum manifesto usus loquendi indicio eadem et ad spem pertineat, quae ex errore de Dei perfectionibus moralibus oritur. Quam quidem superstitionem subiectivam ex obiectivae fonte esse derivandam tam perspicuum videtur, ut nullis argumentis indigeat; dummodo istam superstitionis vim firmiter teneamus, quam in errore circa perfectiones Dei morales positam esse affirmavimus. Quae quidem definitio, cum a nemine unquam, quod equidem sciam, proposita inveniatur, ut idoneis argumentis confirmetur atque stabiliatur necesse est: idque eo magis, quo plures iam audire mihi videor qui dicant, eam arctioribus finibus esse circumscriptam, utpote quae ad solas morales Dei perfectiones errorem istum referat. Verum haec obiectio, licet primo adpectu rationem aliquam habere videatur, eius tamen curatius inspectae vanitas luculenter apparebit. Primum enim ex isto quem attuli loquendi usu colligi potest, nullum errorem superstitionis nomen mereri nisi eum, qui ad notiones de numine quodam divino, tanquam rerum sensibus percipiendarum auctore, pertineat. — Atque adeo infra docebo, inter fontes unde omnis superstitio defluat non iniuria numerandas esse notiones, quas vocant anthropomorphicas, id est tales, quibus hominum species imperfectionesque in numen quoddam sensibus haud obnoxium conferuntur.

At forsari existunt qui proferant mihi superstitio-  
 nis genera, quae cum notionibus de numine quodam  
 divino, quod nulla alia causa interveniente rem effece-  
 rit, nihil omnino commercii habere videantur, idque  
 exemplo, quod philosophus quidam recentiori sectae  
 addictus attulit, comprobare studeant — ista nimirum  
 consuetudine, hodieque in quibusdam regionibus usi-  
 tatissima, ut dentium algores clavis figendis sedentur.  
 Quodsi autem absurdissimae istius opinionis causam dili-  
 gentius investigaverimus, item numen quoddam, an-  
 gustos naturae humanae fines excedens, inveniemus, sive  
 daemonem sive alio nomine appellaveris, quod vel den-  
 tium algores effecisse ideoque clavo figendo expellen-  
 dum, vel ista ratione arcessendum esse putatur ut leni-  
 at dolorum acerbiter. At dicat aliquis, se artem  
 quidem illam probe callere, sed haec laetum atque con-  
 tentum de modo, qui singula efficiantur et de causis,  
 unde tam mirabiles effectus tamque repente exoriantur,  
 nihil plane curare, neque esse quod daemonum aut  
 divinarum naturarum vi se adiutum arbitretur. Quis  
 vero sit, quin de talibus indignetur ineptiis hominem-  
 que despiciat, qui naturam suam ita eiurasse videatur  
 ut animi vires intendere rerumque quas ipse peragit  
 causas perquirere posset negligat. Sed nescio an alius  
 mihi admirandi istius effectus causam quaerenti respon-  
 deat, in ipso clavo dolorum leniendorum vim sitam ef-  
 fe; modo quis calleat quomodo dentes ferro sint tan-  
 gendi. Quem quidem virum equidem non superstitio-  
 sum, sed erroris ex legum physicarum ignorantia exortum

nebulis offusum dixerim; eundem contra ad numen quoddam hominibus praestantius atque potentius provocantem superstitiosi nomine dignum putaverim. Nihil igitur exemplum istud facit ad redarguenda illa quae affirmavi, neque quidquam obstare videtur, quo minus quodcumque superstitionis genus ad notiones de divino quodam numine conceptas referendum esse existimem. — Quae cum ita sint proximum est ut doceam, quemcunque errorem, qui superstitionis nomine notetur, versari circa perfectiones Dei morales sive eas quae immediate ad *voluntatem* eius simul referuntur, non item circa eas quae ad solam mentem divinam pertinent. Nam cum quilibet superstitiosus res, quae ipsius admirationem movent quarumque causas, cum animi vires intendere nolit, perspicendi facultate est destitutus, vel a summo numine nulla alia interveniente causa effectas, vel ab aliis naturis divinis productas opinetur; utrumcunque ponamus de *moralibus Dei perfectionibus* error committitur. — Prior etenim ratio si locum habet, superstitiosus an mirabile quid (velut stella quaedam crinita) a Deo effici potuerit, sitve cum summa eius mente conciliandum nihil dubitat, sed hoc iam posito eo potissimum consilio illud effectum putat, ut voluntas divina hominibus innotescat et quid summum numen a nobis peragi velit edoceamur. Unde de iis maxime perfectionibus quae ad voluntatem divinam pertinent prava eius animo persuasio inhaerere videtur. Altera si obtinet ratio, divinae istae naturae sive daemones aut sua sponte aut Dei iussu talia effecisse pu-



tantur. Hinc autem necesse est ut superstitiosus habeat persuasum, vel talem vim, quam daemones isti sive boni sive mali in rerum humanarum ordinem exferant, summi numinis benignitati amoris atque iustitiae nullo modo repugnare, vel Deum nonnisi istorum ministerio adiutum voluntatem suam perficere hominesque beneficiis poenive afficere posse.— Utramcunque sequatur opinionem eius animo pravae de moralibus Dei perfectionibus persuasionis caligo infusa esse videtur, neque ullum omnino superstitionis genus inveniri posse arbitrator, ubi quisque ea implicitus, nec res quasdam mirabiles alterutra ista quam attuli, ratione per divinam voluntatem effectas opinetur, nec sui ipsius actionibus divinam voluntatem immutare adnitatur.

§. 4.

*Egregiorum quorundam philosophorum definitiones comparantur.*

WOLFFIUS \*) superstitionis vim ita constituit, ut sit vitium, quo agens committit actiones, per erroneas de Deo et providentia divina quoad homini bona vel mala opiniones determinatas. Quae quidem definitio primum ea, quae ex superstitione oriuntur, magis explicare quam ipsam eius vim atque potestatem fixis veluti punctis definire videtur. Deinde cum ex ipsius

\*) Jus. Nat. §. 1255.

Wolffii explicatione vitium sui habitus moralis pravus\*), superstitio hoc nomine appellari nullo modo potest. Si quidem habitus ex eiusdem philosophi sententia idem est atque Germanorum *Fertigkeit*, sive facultas aliquid ulla sine molestia peragendi, quippe quae repetitione demum saepius renovata exoritur. Atque adeo ipsius vitii definitio vehementer displicet, utpote quod magis in sensu unde habitus iste emanat, quam in hoc habitu morali eoque pravo contineri putaverim. Neque hac porro de causa superstitio vitii nomine recte notari potest quod ex mentis quadam pravitate verique ignorantia exoritur, nec ullo pacto fieri potest quin homo rudis legumque quibus rerum natura regitur ignarus, dum curiositati cuiusvis homini insitae satisfacere rerumque causas explicare studeat, ad superstitiosarum opinionum perversitatem abripiatur. Denique tantum abest, ut omnes homines superstitioni dediti, iidem vitiiis polluti vocari mereantur; ut rerum usu satiscēatur, permultos reperiri qui etsi virtute praediti vanis tamen de natura divina opinionibus imbuti istiusmodi errorum caligine offusi iaceant. Diversam rationem sequitur KANTIVS\*), qui superstitionem ait esse opinionem, qua quis ductus rerum naturam non iis legibus teneri regique existimet, quas et ei, et sibi ipse mens humana condiderit.]

\*) eod. Lib. §. 277.<sup>1</sup>

\*\*) Cr. d. Urt. §. 40. 158.<sup>1</sup>

Res si ita sese haberet, sexcenti homines, qui legum physicarum ignari rerum quarundam sensibus perceptarum causas pro viribus investigare conantur, superstitionis nomine forent notandi. Quot tum homines conditi multisque et reconditis literis instructi, sed a nulla physicarum rerum scientia parati, idem nomen mereantur. Jam nihil aliud in definitione illa contineri, nisi quendam superstitionis opinionum fontem non est quod moneam. Si quis autem istius opinionis, in qua superstitionis vim versari putat acutissimus philosophus, causam quaerit, binae sunt quas afferas, vel *rerum physicarum imperitiam* — at tum opinio ista rectius errorem sive quandam persuasionem appellaveris, quam superstitionem — vel *phantasiam, quæ excussio rationis iugo sibimet ipsa rerum causas effinxerit* unde efficeretur ut poetarum fabulae atque commenta, ad aures animosque demulcendos et oblectandos composita, ex superstitionis impurissimo fonte propagarentur. Istius autem superstitionis idem ille philosophus \*) partem vocat eam, quam ut uno defungar verbo *religiosam* vocare licet, cuius quidem vim cum in eo sitam censeat, ut religiones et caerimoniae a poenis divinis liberare, Deique amorem conciliare posse putentur, arctioribus limitibus inclusam esse arbitror. Nam cum bina discernat superstitionis genera *et theoreticam* et *practicam*, prout illa vel naturae praeceptis vel morali legi cognoscendis et peragendis obstat: quam religiosam vocat, practicam eandem posse appellari solis-

\*) Relig. IV. St. §. 2.

que ritibus et caerimoniis, quae in aliis sectis aliae reperiuntur, contineri putat. Verum ad alterum quoque genus eam esse referendam et omnem omnino superstitionem religiosam posse nominari, tum ex §. 3. colligi potest tum ex iis quae infra (§. 6.) commemorabo luculentius apparebit. Omitto alias definitiones quas *Baumgarten*, *Meyer* alique proposuerunt, qui, etsi superstitionem ad notiones de Deo referant, tamen aut arctioribus aut latioribus eam finibus circumscripserunt, id quod neminem qui quidem paulo intentius eas perpenderit praeterire arbitror. — Progredior igitur ad alterum disputationis caput ubi agitur.

## §. 5.

*De praecipuis unde superstitio emanat fontibus.*

Praecipua unde superstitio exoritur causa cernitur *innaturae divinae ignorantia*, quae quidem cum tribus maxime rationibus considerari possit, quatenus vel ad Dei unitatem vel ad perfectiones eius morales pertinet, vel quatenus omnes eius virtutes ad humanae imbecillitatis similitudinem traducuntur: me in hoc argumento breviter explicando has tres partes sequi consentaneum videtur. Verum quoniam inter harum partium primam et ultimam sive inter polytheismum et notiones de Deo anthropomorphicas arcte intercedat coniunctio, coniunctas quoque eas exponere animus est.

Fieri non poterat quin homo rudis atque incultus altissimo, quo ratio oppressa torpuit, sopore discusso, protinus multarum rerum, quae sensibus percipiendae stuporem vel terrorem moverent, causas perquirere inciperet. Sed cum tanta esset rerum quae sese ei obtulerunt multitudo; plurimum aberat ut eius ratio omnes ad unum referre posset auctorem, ut obrueretur potius tanta rerum varietate singulisque singula adiudicaret numina, a quibus eas effectas opinaretur. Verum enim vero pro coeli regionum et ingenii cuiusque populi diversitate, alii plures, alii pauciores, alii excellentiores atque augustiores, alii et vi et virtutibus inferiores Deos sibi effingerent necesse erat. Veluti consentaneum est, Graecos, quorum vegetum ingenium in vivido pectore vigeat, et sensus quacunq̄e impulsione, extrinsecus oblata, facillime erant affiendi, plures sibi depinxisse deos, quam orientalium populorum phantasiâ quae nonnunquam exaestuât quidem, sed aestu mox defervescente et ardore restincto, languore et frigore torpet. Neque vero quisquam unquam dubitabit, quin in Dei unitate cognita atque perspecta omnis de ceteris perfectionibus notionum veritas innitatur; ita ut quo quis clariorem atque integriorem cognitionem de illa sibi comparaverit, eo minus verendum sit, ne de ceteris virtutibus pravam sequatur persuasionem. Unde facile intelligitur, ex polytheismi maxime fonte vel eas quae ad morales Dei perfectiones pertinent opiniones, ideoque omnem superstitionum sarraginem promanare.

Qui quidem superstitionis fons, uti apud cultiores nostri aevi populos paene exaruisse videtur, ita ex eo, quem illi arcte coniunctum supra dixi, multi superstitionum rivuli in multas gentes diversi hodieque defluunt. Neque vero quidquam magis est necesse, quam ut homines, ubi primum ad paulo altiore humanitatis gradum ascenderint, numinibus suis humanas induant formas humanasque tribuant vires, virtutes, cupiditates animique perturbationes; ita tamen ut omnia ad excellentiam adaugeantur. Hinc v. c. factum est ut, cum hominum iracundia ad deorum animos transferretur, omnia agerentur ad eam vel donis oblati vel caerimoniis sedandam. Omnia igitur indagabat anxius hominum animus, unde deorum voluntatem intelligi eorumque mentem aut insensam aut lenitam explorari posse putaret, et nihil porro sibi satius nihil antiquius ducebat, quam ut clementes illos atque propitios sibi redderet; et sicuti omnes res noxiae atque iniquae ab irato deo effectae credebantur, ita quaecunque laeta atque iucunda placati numinis indicia habebantur. Hinc fieri non poterat quin multa superstitionis genera, quae quidem omnia ad cultum deorum pertinerent, exorirentur, atque adeo multa hodieque inde originem ducunt, licet pro maiore populorum cultu minorem testantia ruditatem.

Restat ut de ea quam in perfectionum Dei morali-um ignorantia posui causam pauca memorem, unde quidem, quemadmodum e notionum anthropomorphi-  
carum

carum fonte, hodieque inter Christianos varia promanant superstitionis genera. Si quidem necessario efficitur ut, cum superstitionis vis in errore circa morales Dei perfectiones recte ponatur, error autem, cui cuiusmodi sit, ex rei cuiusdam naturae inscientia defluat: superstitio quoque ex eius, qualem dixi, ignorantiae stirpe propagetur. Quanta vero et quam atrocia, omnesque humanitatis stirpes exscindentia superstitionis genera ex hoc potissimum fonte emanaverint infra videbimus ubi ad capita de satisfactionibus zeloque religioso accesserimus.

## §. 6.

*Superstitionis divisio.*

Si quis superstitionis vim atque naturam paulo diligentius consideraverit, eam duobus maxime capitibus *theoretico* et *practico* absolvi intelliget. Ego vero *theoreticam* voco eam, quae omnia *φαινομενα*, quorum causas perspicere nequit a Deo aliove divino numine, nulla alia causa interveniente, effecta esse opinatur. Ea enim superstitionum est consuetudo ut, prouti vel rei cuiusdam novitate et admirabilitate commoventur, vel rem quandam in rerum humanarum tenore bona malave infecuta esse animadverterunt, ita etiam hanc bona vel mala sibi afferre posse valde suspensio animo expectent. *Practica* autem superstitionum est, qui religionibus atque caerimoniis aut Dei

numinumque divinorum amorem conciliari rerumque prosperitatem comparari, aut eorum iram averruncari, malaque imminetia arceri posse credant.

Neque vero haec, quam *theoreticam* dixi, superstitio quatenus id potissimum agit, ut quaecunque homini praeter consuetudinem accidant quorumque causas non perspiciat protinus a Deo, nullo aliarum causarum nexu interposito effecta putet, ideoque summum numen in humanarum rerum ordinem vim exserere opinetur, nonnisi totius naturae legibus funditus everfis exserendam, *physica* eadem appellari nequit. Atque adeo eandem *erroris circa sapientiam divinam* nomine appellaverim, quoniam huic nullo modo repugnare putat superstitiosus, quod istiusmodi *φαινομενα* nova atque insolita Deus, certum quoddam secutus consilium, sola ipsius summa potentia nec ullo aliarum causarum interventu efficiat. Qualis v. c. error committitur si quis calamitatem quandam, grandine effectam, qua laetae prosternuntur segetes camporumque uberrimi fructus devastantur, ad Deum referat iratum. Neque enim tum in causas inquiritur, cur his potissimum in locis nec vero in aliis tanta grandinis vis ceciderit; sed calamitas ista a summo numine hominum puniuro iniquitatem et peccatorum gravitatem ultione persecuturo, continuo effecta putatur.



*De theoreticae superstitionis partibus.*

Bina illa, quae modo commemoravi, superstitionis genera iam antiquissimis temporibus in plures abierunt partes. Veluti *theoretica* superstitio complectebatur *divinationem*, *astrologiam*, *οἰωνομαντείαν*, *πυρομαντείαν* aliasque quorum quidem rationem deinceps exponere conabor. — A divinatione igitur ut ducam initium, eius perquam apte duo genera Cicero discernit, quorum alterum naturale mentis concitatione edi et quasi fundi videatur, alterum *artificiosum* partim ex coniectura constet partim ex observatione diuturna. Neque vero sunt ullius superstitionis stirpes, quae in rudium hominum ingenio, quorum sensus et phantasia quacunque re paulo magis insolita vehementissime commoventur, tam alte latere videantur quam huius divinationis fontes, quam naturalem Cicero appellavit. Inculti enim homines uti propensiores sunt ad quarumcunque rerum, quae praeter consuetudinem acciderunt, causas in divinorum numinum potentia quaerendas, ita maxime omnia prudenter et sagaciter cogitata a numinum hominibus longe praestantiorum vi repetere adsolent. Hinc factum est ut, siqui inter eos et acutiore ingenio, et cogitationum consiliorumque prudentia ceterorum antecellerent ruditatem; diis in primis grati atque accepti et a ceteris haberentur, et ipsi hac admiratione elati sese deorum interpretes

crederent, ideoque quoties rursus interrogarentur tam commoto responderent animo, ut deorum numine instincti afflatique effata edere viderentur. Quid quod eccliasi illi a rudium hominum phantasiae fervore sensuumque vigore incredibile quoddam accederet incrementum necesse erat. Enimvero cum facile intelligerent, quo vehementius irritati essent nervi et quo calidior et celerior pervolveretur sanguis, eo felicitiora cogitata, eo prudentiora esse consilia; a plurimis iisque incultissimis gentibus rationes, quomodo animum a corpore abstractum divino quasi instinctu concitare possint, cognitae esse reperimus. Hinc igitur exorta oracula, hinc naturalis quo vatum effata insigniuntur fervor, illa imaginum verborumque et superlatorum et tralatorum audacia. Verum enimvero et si huic naturali divinationis generi nihil initio inerat artificiosum, nihil fucati, nihil ad fallendum compositi; honor tamen, opes, divitiae aliaque emolumenta inde redundantia mox excitaverunt vates, qui naturalem illum furorem artificiose imitati id solum egerunt, ut imperitos et rudes deciperent et quocumque vellent dirigerent. Ita factum est ut naturale illud divinationis genus sensum sensumque in artis formam redigeretur et ab *artificioso genere* quasi absorberetur. Iam igitur ad hoc transeam, quo referenda sunt *astrologia*, *haruspicium* aliaque genera deinceps explicanda.

## §. 8.

*De Astrologia.*

Astrologia et Astronomia cum apud Veteres unius essent disciplinae confusaeque et in unum commixtae iacerent, discrimen quod inter utramque intercedit illis ignotum fuisse facile colligitur\*). Recentioribus autem temporibus verissime ita discretae sunt, ut astrologia ad superstitionum vanitatem astronomia ad veri repertiendi studium referatur; et quemadmodum ii, qui siderum cursus et motus numeris persequuntur, appellantur Astronomi, ita si qui coelestium notitia ad humanarum rerum ordinem traducta res futuras inde hominibus sese praemonstrare atque praecinere posse existiment, Astrologorum nomine recte notentur. Astrologiae autem stirpes, si quis investigare cupit, reperiet eas in illis Asiae et Africae regionibus, ubi gentes una cum gregibus in agris dispalati totos dies noctesque sub divo vitam agitabant. Qui cum, ipsa vita quam degebant excitati, coelestium siderum motus, circumvectiones, ortus obitusque observarent, et eodem v. c. tempore, quo lunam aut accrescentem diminutamve, aut pleno fulgentem lumine, aut sanguinis colore suffusam, aut denique plane deficientem, nitoremque sideris sui condentem animadverterent; vel eo-

\*) Aristot. Anal. Post. I. 1.

Ibid. Orig. I. 2.

Senec. ep. 95.

rum greges pestilentiae vi depopularentur, vel pascua calamitatis gravitate devastarentur, vel alio infestissimo casu ipsi afficerentur: fieri non potuit quin astra non solum maximam in rerum humanarum tenorem vim exferere putarent, sed etiam quaecunque praeter consuetudinem aut coelestia illa phaenomena sequerentur, aut eodem acciderent tempore, isis effecta esse opinarentur. Ita paulatim factum est ut, dum plura indies experiundo cognoscerent, coelestiumque luminum circumvectiones et mutationes intentius observarent; ex harum rerum, usu cognitarum fonte multa, quae ad coeli temperiem aliasque res pertinerent, divinandi atque praesentiendi facultatem haurirent. Nec dum igitur huic rationi quidquam inerat noxii aut ad aliorum fraudem comparati. At vero huius rei simplicitatem, arctis circumscriptam finibus, mox egressi quidam id de industria egerunt, ut ex siderum ortu, obitu variisque conversionibus humanarum rerum ordinem constituerent, et quid cuique homini eventurum esset divinarent. Sic ex ista variarum rerum usu perceptarum farragine disciplina oriebatur, quae ad quaesum faciendum hominumque imperitiam decipiendam tota composita, in medii potissimum aevi barbarie praecipue semper floruit semperque dominata est, vel ab ipsa eorum qui civitates regebant inscitia atque imprudentia colligens magna virium incrementa. Sed ut primum tum litterarum lux orbi illucescebat, tum homines physica et philosophia edocti inter astrorum motus humanorumque fatorum ratio-

nem nihil commercii intercedere posse intelligerent, tum ipsa civitatum administrandarum ratio firmioribus extrueretur fundamentis; isti astrologicarum hariolationum fontes sensim exaruerunt. Et vero pro ut naturae leges accuratius perspectae rerumque causae diligentius indagatae fuerint, ita omnes quoque istarum stirpes penitus elidentur. Verumtamen alio tempore alii exstiterunt huius superstitionis defensores, quorum quidem ineptias et vanitatem *Baylius* in libello qui inscribitur: *pensées diverses sur la dernière comète* ita coarguit, ut plane convicti atque elingues redditi videantur. —

### §. 9.

#### *De Οἰωνιστικῇ et aliis divinationis partibus.*

Uti astrologiae ita οἰωνιστικῆς quoque sive *διωνομαντείας* plerarumque aliarum divinationis partium origines in antiquissimis latent temporibus, ubi homines rudes naturaeque legum ignari et omnibus, quae hodie vix quemquam obiter movent, vehementissime afficiuntur, et, si res aliae alias easque miras sequuntur, his illas effectas existimare adsolent. Quam antiquissimorum hominum indolem atque consuetudinem si quis reputaverit, ei mentem humanam in huiusmodi superstitionum ineptias incidisse mirum non videbitur. Observarunt igitur illi aërios volatus avium atque cantus, animadverterunt alites tum huc tum illuc, modo dex-

trorsum modo sinistrorsum, volare, modo in gyrum circumvolitare, nunc coelestia sidera petere, nunc terram alis fere attingere, oscinesque nunc clariores nunc obscuriores edere cantus. Atqui cum res quaedam aut eodem fere tempore aut paulo post acciderent, quae vel insolitae vel certe momenti quiddam habere ipsis viderentur, factum est ut ex avium lapsu atque cantu non solum tempestatis mutationes, inter quarum alias naturalis quaedam cum avium cantu atque volatu saepius intercedit coniunctio; sed alias etiam res a sola pendentes fortuna, quin ipsam deorum voluntatem atque consilia divinare posse sibi viderentur, omninoque volucres rerum augurandarum causa natas esse putarent. Illud autem de *οἰωνοσκοπία* quoque diligenter tenendum est, eam initio perquam rudem et ad fallendum neutiquam comparatam, posteris autem temporibus et in disciplinae formam redactam fuisse, et ad sum cum hominibus faciendum compositam, atque adeo publica auctoritate confirmatam. Eadem ratio est *ἱεροσκοπίας* sive *haruspicii* et omnium omnino quae deinceps commemorabo divinationis generum. Ars illa quam *haruspicinam* sive *extispicium* dixi, e victimae extis visceribusque futura praedicit, orta illa quidem ex opinione, hostiam diis oblatam integram esse debere. Hinc an eius intestina et viscera sana, integra, suo loco et situ posita essent, iustum colorem et magnitudinem haberent, diligenter inspiciebatur et si quid praeter consuetudinem reperiretur, homines perterritos quaecunque mala inde sibi divinare consenta-

neum erat. Praeterea memoranda est κληρομαντεία sive ea divinatio quae per sortes vel per tesseras talosque iactos futurarum scientiam quaerit, cuius quidem sicuti ceterarum origo ab antiquis temporibus repetenda esse videtur. Nam cum sortes an in hanc aliamve partem caderent, a deorum numine pendere putaretur; si quae essent aut reperienda, aut diiudicanda, aut peragenda, nec sapientissimorum consilia desiderio satisfacerent, re ad sortem revocata quid fieri deberet constituebatur. Eodem pertinent ῥαβδομαντεία et στιχομαντεία ita a virgulis et poetarum versibus nuncupatae, quibus homines futura cognitari sortium loco utebantur. Quandoquidem porro observarunt vel ignem nunc in flammam acutiorem hebetioremve assurgentem, nunc crepitantem aliosque edentem sonos, vel fumum modo crassiolem et atrum, modo tenuiorem et fulvum apparere; futurarum inde rerum cognitionem colligi posse opinione ducebantur pravissima. Hinc πυρομαντείας et καπνομαντείας superstitione exorta est. Praetermitto ὑδρομαντεϊαν, de qua Plin. xxxvi. ii. δινωμαντεϊαν, de qua legatur Virgil. Aen. iv. aliaque plura divinationis genera, quae si singula persequi curatiusque explicare vellem totidem mihi libelli essent conscribendi. Praecipuis igitur divinationis generibus breviter explicatis, restat ut omnem divinationem tum naturalem tum artificiosam ad superstitionem eamque theoreticam referendam esse probem.

*Quaestio an divinatio tum naturalis tum artificiosa  
ad superstitionem sit referenda diiudicatur.*

Primum igitur si de naturali divinationis genere quaeritur, multum abest ut plane absurdum atque *adv-  
varov* haberi debeat, hominibus quibusdam impetum ut ita dicam animi divinatorium a Deo tributum fuisse, ut ipsis adeo Dei virtutibus conveniat, eum magnas quasdam in rerum physicarum aut politicarum tenore mutationes praenuntiare hominibus, qui tum propter legum quibus natura regitur ignorantiam, tum rerum usu cognitarum inopiam et iudicii infirmitatem nec augurari eas nec terribiles earum effectus praevidere possint. Neque idcirco fieri potest ut quaestio, an fides vaticiniis habita ad superstitionem pertineat, generatim tantummodo atque indefinite diiudicetur; sed certa quaedam signa sive notae constituendae esse videntur, unde num iure iniuriave superstitionis nomine oracula notentur perspicue dignoscatur.

In horum autem signorum numero in primis illud ponendum esse arbitror quod ea vaticiniorum vel oraculorum vis esse debet atque natura, ut certarum quarundam rerum praedictio divinis virtutibus et praecipue eius sapientiae, benignitati et iustitiae non repugnare videatur. Deinde lingua, in qua vaticinia continentur, debet esse perspicua, ut quid quisque sibi velint intelligat, neque porro res, quae praenuntiantur,



nimio temporis intervallo disjunctae sint. Quid enim iuvat praescire ea quae mille annis post accident! Tum vates ipsi non solum apud populum in honore et pretio sint iustamque habeant venerationem, ut quaecunque eorum effata libenter exaudiantur et peragantur; sed etiam ea esse debent morum probitate atque integritate ut sanctissimum numen eos dignos habere posset, quibus ad homines de voluntate sua edocendos uteretur. Neque vero non iusti rerum sint aestimatores omniaque sapienter et considerate agant necesse est, ut cognitiones a Deo acceptas ipsi pensitent et de earum veritate sibi persuadeant nec solum campanarum instar, pro ut vehementius leniusve pulsentur, ita aut clariorem aut obscuriorem edant sonum. Denique non nisi ipso numine stimulante atque concitante vaticinentur, nec in ipsorum potestate situm esse debet quodcumque velint oracula edere et artium quarundam usu furore quasi divino animum implere. Quodsi igitur reperiuntur vaticinia quibus hae notae non impressae sunt, fides iis habita, quoniam cum Dei benignitate, sapientia atque sanctitate conciliare studeat, quae iis nullo modo conveniant, ad superstitionum opinionum ineptias merito refertur.

Progredior ad alterum divinationis genus, partim ex coniectura constans partim ex observatione diuturna, quod quidem quateus rerum, usu cognitarum, quae cum iis quae inde colliguntur coniunctionem quandam habent, fundamento innititur, superstitionis

nomen neutiquam meretur, ut quo dignissimum est ubi illa quam dixi coniunctio aut non vere intercedit, aut non intelligitur, sed lacuna inde exorta divino quodam numine protinus expletur. Nauta v. c. qui cum in maris superficie delphini appareant haustamque effundant aquam, inde saevam auguratur tempestatem superstitiosi nomine neutiquam est appellandus; sed statim atque delphinos istos a Deo nulla alia interveniente causa illuc adductos putat, ideoque summum numen ad consilium perficiendum rationibus ipsius potentiae, sapienter temperatae repugnantibus uti opinatur; nihil obstat quo minus superstitiosorum turba iure adnumeretur. Eadem ratio est *astrologiae* atque *ὄρωμαυτείας*, quae donec ad res experientia cognitae easque cum iis quae inde divinantur necessario coniunctas pertinent, ad superstitionem haud quaquam sunt referendae. Ita v. c. res sese habet cum e lunae forma et certorum alitum cantu atque clangore de futura coeli temperie iudicatur. Quodsi autem quis ex siderum ortu obituque humanorum datorum rationem recte colligi posse credat, superstitio exoritur. Tum enim vel Deum inter astra et hominum fata coniunctionem quandam ab aeterno constituisse, vel, quotiescunque astrologo hominis cuiusdam fortem explorare in mentem venerit, eam subito effecisse credatur necesse esset: atque adeo summum numen ex consilio ipsius sapientia indignissimo egisse hominisque vi ad miracula edenda impulsus fuisse putandum foret. Nihil dicam de quaestione, an omnino Dei iustitiae conveniat, ut ho-

minibus sortem praenuntiet futuram. Sed pauca adhuc de *δωρομαντεία*, quae ubi ad opinionem, quasi Deus voluntatem consiliaque sua hominibus annuntiaturus alitibus utatur, deflexerit superstitio recte vocari potest. Qualem enim de divina benignitate et sapientia notionem sibi effingat, qui sapientissimum numen ad homines de iis, quae ad ipsos humanarumque rerum statum pertinent edocendos, rationibus uti opinetur tam incertis, indefinitis, tam multiplici modo explicandis nec ullo nexu necessario cum ipsius voluntate coniunctis, ita ut quo spectent recte atque perspicue intelligi nullo modo nequeat. Ceterarum autem divinationis partium veluti *πυρομαντείας*, *ύδρομαντείας* aliarumque quam foeda et rudis sit superstitio cum ulla sine causa atque rationis specie iuncta ad divina referantur numina, non est quod moneam.

Restat ut paucis exponam qua ratione adductus has omnes divinationis partes ad theoreticam retulerim superstitutionem. Causa in eo posita est, quod quicumque aliquam ex istis quas attuli divinationis partem sequitur, res quasdam a Deo nullo aliarum causarum nexu interveniente atque adeo e consilio divina sapientia indignissimo effectas existimat, qua quidem in opinione praecipue, ut supra monui, *theoreticae* superstitutionis vis cernitur. Quodsi autem id potissimum agitur, ut vel futura felicitas ritibus quibusdam arcescatur, vel imminetia mala depellantur; *practica* ex-



oritur superstitio, ad quam curatius explicandam iam transeundum est.

§. II.

*De practicae superstitionis natura et partibus.*

Si quis igitur id potissimum agit, ut res, quas vel prosperas sibi futuras sperat, vel metuit exitiosas, aut arceat aut depellat atque variis modis in morales Dei perfectiones sese vim exferere posse opinatur; eius animus practicae superstitionis caligine esse circumfusum recte mihi videor affirmare. Superstitiosus autem cum ad illas Dei perfectiones vel continuo nec ullis aliis naturis intervenientibus vim suam pertinere, vel certis quibusdam numinibus quae humanae imbecillitatis fines excedant sese adiuvari credat; duplex inde oritur superstitionis genus, alterum quod in numinibus istis aut placandis aut demulcendis, aut compescendis arcendisque vertitur, *magiae* nomine notatur; alterum in opinione, certis quibusdam religionibus aut caerimoniis Dei voluntatem immutari, eius amorem conciliari poenasque amoveri posse cernitur, idque cum in hominum vitam moresque plurimum habeat momenti *moralem* superstitionem appellaverim. Quorum quidem alterutrum diversas ambitu suo complectitur partes veluti illud *theurgiam* et *γοητείαν*, hoc varias satisfactionum partes *zelumque religiosum*. Quae cum ita sint, binis illis practicae superstitionis generibus breviter ex-

plicatis, illud de sapientia, hoc vero de iustitia maxime et benignitate divina errare edocendum est.

Primum igitur illud *magiae* genus, quod theurgiam et γαυτείαν comprehendit, curatius exponere conabor, quoniam alterum genus, quod in astris regionibusque coelestibus esse vires quasdam praestantiores easque caerimoniis caste et sancte vivendo nobis comparandas existimat, huc non pertinet, cum sit fanaticismi quoddam genus ex legum quibus rerum natura regitur ignorantia exortum.

§. 12.

*De Magia.*

Primas *magiae* stirpes veramque naturam cogniturus in antiquissima redeat tempora, ubi cuicumque rei, vitae motusque specie quadam praeditae, animam inesse prisca sibi persuadet hominum ruditas. Et vero eandem rem ubi insolita efficere omninoque aliquid novi et stupendi habere homo incultus animadverterit; fieri non potest quin terrore commotus a deo sive numine divino habitatam animatamque opinetur. Sed cum multarum rerum, quae praeter consuetudinem ei accidebant, causas sensibus percipere nullo modo posset, ut rationi somno expergefactae satisfaceret non solum deos sibi effinxit sensibus haud obnoxios eosque vel bonos vel malos, a quorum vi aut morbos et cala-



mitates, aut omnium rerum prosperitates cunctaque in utramque partem insignia deduceret, sed et iam omnia egit ut sacrificiis suffitibus variisque caerimoniis sacris bonorum amorem conciliaret, malorum odium leniret et averruncaret. Haec est magia ex imperitia hominum orta ab omnique fraudis specie profus aliena. Illorum autem deorum potestatem, naturam atque virtutes, hominum phantasia paulatim diversissimis exornavit coloribus: alios sibi finxit potentiores atque insigniores, alios infirmiores atque humiliores, alios in regionum caelestium arce, alios in locorum subterraneorum caligine collocavit; singulos autem, vel sua ipsorum vi, vel missis quibusdam nuntiis in rerum humanarum ordinem vim exferere hominesque de variis rebus edocere putavit. Attamen multum abfuit, ut omnes homines praeclara hac institutione frui putarentur, ut pauci duntaxat iique doctissimi iuxta et sapientissimi, arctiore deorum consuetudine gavisi, callere viderentur, quomodo propitiorum favor conservari infestorumque ira placari posset. Qui quidem viri, cum ab inculta multitudine tanquam sanctissimi deorum sacerdotes summa colerentur veneratione, eam ad quodcunque adducendi et a quocunque vellent deterrendi magnam nacti erant opportunitatem. Hinc *magia* quasi theatrum factum est plenissimum omnis fallaciae omniumque praestigiarum quibus operam dabant homines, vel inescandae multitudinis cupidine, vel honoris siti, vel auri fame vehementissime stimulati. Quotquot etenim illis artibus dediti aut familiaritatem, quae cum geniis daemoni-

bus-

busque sibi intercederet, aut linguae qua illi *uteren-*  
*tur* cognitionem simulabant; aut facultatem iactabant  
 qua praediti bonorum daemonum ope mira efficerent,  
 malorum autem nocendi vim coercerent in eosque do-  
 minarentur. His in rebus *theurgiae* vis cernitur, cui  
 arcte iuncta est *γοργεία* quae carminibus, effascinationi-  
 bus, absconditis quibusdam artibus aliisque oculorum  
 ludibriis ipsos advocat daemones infernasque umbras  
 ex orci tenebris elicit.

Jam vero credibile est, magicas istas artes nullo  
 unquam tempore tantis auctas fuisse incrementis, quan-  
 ta in tætra mediæ aevi barbarie a summa hominum in-  
 omnem vanitatem proclivitate eas accepisse constat.  
 Sed ubi primum gentes humanitatis lumine illustrari  
 coeperunt, ut ludibria ista a pristino auctoritatis gradu  
 detruderentur necesse erat; tametsi neutiquam pror-  
 fus evanuerunt. Nam alio tempore alii exorti sunt ho-  
 mines ad fraudem callidi et sola lucri cupidine instincti,  
 qui omnibus praestigiæ machinis hominum rudita-  
 tem ludificarent imbecillitatisque maligne insidiarentur.  
 Atque adeo fuerunt, quamquam paucissimi, qui nul-  
 la privati commodi dulcedine abrepti, sed mysterio-  
 rum maxime deliciis allecti, opertaque revelandi im-  
 portuno studio impulsus istarum artium futilitati operam  
 intensissimam adhiberent.

Haec fere sunt quae de magiae vi atque origine  
 paucis delineare animus erat. Plura eaque subtiliora

ac doctiora si quis quaerat adeat elegantissimum *Meinertis* libellum *Geschichte aller Religionen* inscriptum, unde cognoscitur inter omnes fere gentes humanitate non exopolitas homines reperiri, qui cum genis aliisque numinibus arctam sibi intercedere familiaritatem simulent, eorumque ope sese bonis malisve alios afficere posse confirmant: istorum porro praestigias, quibus imperitiae fucum faciant, ubique fere esse eadem, et de herbarum amuletorum verborumque certorum magica vi nationes incultas eandem fere sequi sententiam. Quocum libello conferri merentur quae de artium sive potius hariolationum magicarum origine subtiliter atque copiose disputavit *Tiedemannus*. His autem quae iungantur praecipue digna sunt, quae de primis magicae disciplinae fontibus atque progressibus *Eberhardus* eximio, uti solet, ingenii acumine exquisitaque differuit eruditione.

Supereft ut haec quae modo exposui superstitionis genera, *magiam*, *theurgiam* *γοργεῖαν* in errore practico circa sapientiam divinam maxime versari paucis comprobem. Si quidem in hunc errorem quicumque istiusmodi superstitione impliciti inciderunt, cum non solum persuasum habeant, esse daemones bonos malosve, qui rationes, a sapientissimo numine ad consilia peragenda eligendas, aut praescribere, aut electas immutare irritasque reddere queant; sed etiam Deum nullas plane vias reperire posse putent, quibus istam daemonum vim atque audaciam comprimat et infrin-



gat: 'atque adeo semet ipsos rerum humanarum divinarumque ordinem sapientissime constitutum perturbare consiliorumque divinorum constantiam avertere posse opinione fallantur pravissima.

§. 13.

*De superstitionis moralis partibus et prima earum, quae in satisfactionibus continetur.*

Venio ad alteram quam *moralem* appellavi practicae superstitionis partem, cuius quidem vis in eo potissimum cernitur ut nulla aliorum numinum ope, sed actionibus quibusdam ad cultum Dei externum pertinentibus divina voluntas immutari, favor conciliari poenaque arceri posse credantur. — Huc refero primum *satisfactiones* sive quascunque caerimonias et religiones, quibus Dei indignatio placari iisque, quae exposcere videretur, satisfieri posse putabant. Deinde dicendum est de praecipua illarum parte, quae est *ista, quam poenitentiarum vocant, disciplina*, sive summa rituum actionumque externarum, cum acerbitate praesertim et molestia quadam coniunctarum, quae ad poenas divinas amovendas gratiamque recuperandam aliquid facere videbantur. Huc pertinent *preces, supplicia, cruciatus, indulgentiae*, aliaque. Postremo commemorandus est *zelus religiosus* sive opinio, coeco et vehementi suae religionis studio divinum amorem peccatorumque condonationem

comparari. Quas quidem *moralis* superstitionis partes ubi breviter explicaverim, ad errorem circa iustitiam et benignitatem divinam omnes pertinere docebo.

Primum igitur si de *satisfactionum* origine et natura quaeritur, omnium religionum principia ex notionum anthropomorphicarum fonte defluxisse iam supra docui. Unde haud dubie factum est ut, quam in aliorum in primisque pollentiorum ira sedanda et voluntate perficienda homines sequerentur viam, eam quoque in diis placandis ingrederentur. Hinc apud Judaeos et vero etiam apud Graecos et Romanos varii exorti modi, quibus se diis satisfacere posse crederent. Hinc illa sacrificiorum superstitio, hinc supplicationes, hinc lectisternia et tot alii ritus quos anxia et perversa hominum religio commenta est. His et talibus satisfactionum generibus, ad quorum cumulum alio tempore alia accefferunt, utebantur homines ad pestes, bella, calamitates variaque mala depellenda, quae a diis, propter leges violatas maxime iratis, concitata putabant. Illud enim praecipue egerunt civitatum legumque conditores, ut annexis quae de divina vi atque natura regnabant opinionibus leges suas confirmarent et sancirent, deosque ipsos earum violationem ulturos et gravissimis poenis persecuturos comminarentur. Quod quidem fuit in causa cur, si vel tota civitas vel singuli homines casibus premerentur infestis singularique calamitate afficerentur, omnia excogitarent quibus deorum ira mitigari, tot tantaque mala averti

pristinaque salus et incolunitas recuperari posse videretur. Nihil igitur omnino his satisfactionibus quaerebatur nisi externorum malorum liberatio.

At vero Judaei sequioris aevi variis sacrificiis, Iustrationibus aliisque caerimoniis Deo gratos sese acceptosque reddere posse putarunt: unde etiam Christiani hauserunt opinionem, certis quibusdam ritibus et religionibus vel ad animum a peccatorum fordibus purgandum magnam vim esse tribuendam. Nam licet Jesus egregia antiquorum vatum praecepta in popularium mentem revocans, doceret, nonnisi animo et cupiditatibus Deo quasi devovendis effici, ut eius amorem conciliarent voluntatique satisfacerent; ea tamen fuit illorum temporum ruditas, ut nec praecepti illius vis et praeslantia a plerisque persentiri, nec superstitionis iudaicae et ethnicae radices, altissime in animis residentes, stirpitis evelli ullo modo possent. Imo sensim sensimque serpebat, latiusque emanabat opinio, Deum in solo externo cultu quasi acquiescere certasque caerimonias, quamquam cum morum animique emendatione nullo vinculo coniunctas, sufficere ad divini favoris iucunditatem rursus conciliandam. Hinc factum est ut a V inde saeculo in primisque a *Gregorii M* aetate religiones immensum in modum adaugerentur, *officiaque divina* et haberentur et nominarentur. Hinc porro factum est ut, tum stipe egenis quibuscunque et quomocunque, modo largiter eroganda, tum templis et monasteriis aedificandis donisque amplissimis

tam in haec quam in clericos effuse congerendis, tum *reliquiis*, quas vocabant, atque *sanctis* summa veneratione colendis, omninoque omnibus istis perficientis, quae a XII inde saeculo ad *operis-satisfactionem* referebantur, divinae indignationi satisfieri peccatorumque remissionem comparari posse crederent. Ex eodem denique fonte impurissimo defluxit tota ista *disciplina poenitentiaria* ad cuius partes praecipuas exponendas iam accedo.

## §. 14.

*De disciplina poenitentiaria.*

Varia caerimoniarum, cruciatuum actionumque molestissimarum genera, e iudaicarum superstitionum fonte ad Christianos permanantia, et ab his immensum in modum paulatim adaucta, quibus summum numen ad peccata condonanda cogi et impelli posse putabatur, inde a Saeculo V in disciplinae, cui *poenitentiariae* nomen inditum, formam redacta sunt. Ex quo maxime tempore mos invaluit, ut cum summo numine rationem quasi computarent eique ex aestimatione, in libris poenitentialibus constituta, poenas darent quae divinas exaequare Deique iram ad tempus componere viderentur. Illae autem poenae vel in certo precum numero continebantur vel in ieiuniorum cruciatuumve acerbitate, vel aliis in rebus, quarum praecipuas iam exponamus. —

Primo igitur loco commemorandae sunt *preces*, non eas dico quas ex animo profectas mittimus ad Deum vel optantes aliquid vel gratias agentes. Longe enim alia earum ratio erat in istis IV. et sequentium saeculorum tenebris: si quidem fere omnem tunc precum vim in ingenti earum multitudine saepiusque revocata iteratione sitam Deumque aut ipsum, aut per sanctos et martyres precibus impugnatum, cogi posse putabant, ut omnia condonaret quae eius indignationem commovisse viderentur. Permultum igitur abfuit ut preces ad sensus, quales Christianum maxime decet, alendos et corroborandos aliquid conferre crederent, ut actionem illam, quae solius animi esse nihilque coacti nihil servile habere debet, poenam putarent corpori molestam eamque propter delicta merito subeundam. Id quod testantur varia precum genera, qualia sunt preces pro mortuis, vecordes istae psalmodiarum preces, rosaria aliaque multa, quae commemorare piget.

Deinde huc pertinent *cruciatus et miserrima supplicia*, a Christianis sponte suscepta: non ea quidem dico quae primis persecutionum temporibus ad constantiam suamque de christianae religionis veritate firmam persuasionem testandam multi perpessi sunt; sed quae sequiore aetate ad veniam impunitatemque a Deo impetrandam plerique libenter subierunt. Nam quo magis tota religionis virtutisque vis in solo externi cultus exercitio ponebatur, eo latius quoque emanabat

opinio, externas istiusmodi actiones ad peccatorum remissionem consequendam necessario requiri in primisque poenarum et cruciatuum, corpori perferendorum, acerbiter accommodatissimam esse ad Dei misericordiam commovendam poenasque meritas ac debitas quasi redimendas. Hinc originem duxerunt *ieiunia*, e iudaicarum superstitionum farragine recepta, quorum religio ubi magis divulgata spatium latius productum et ratio certius constituta erat; factum est ut laude praemiisque digna et divino amori conciliando perquam idonea haberentur. Hinc porro exorta ista *monachorum exercitiorum immanis severitas*, quae cum populi quoque animos cepisset, viros mulieresque in urbibus et pagis impulit ut, iuncta permultorum psalmorum precatione nudatos artus virgis flagellisque foedissime lacerarent, peccatorum scilicet poenas daturi cupiditatumque fervorem restincturi. Ista denique opinione adiuti fratrum flagellantium turbae ex Italia profectae per multas regiones dimanarunt; nudi illi quidem et per urbes agrosque dispalati crudelissimis verberibus corpora discindentes, ut non solum eorum, quae ipsi, verum etiam quae alii homines deliquissent, veniam summo numine extorquerent. Nam postquam isti cruciatus et supplicia *supererogationis opera* et vocabantur et habebantur, multi fuerunt qui non pecuniae, non donis parcerent, quibus monachos ad sua ipsorum corpora verberibus caedenda impellerent, pravissima illi opinione decepti, sese hac maxime ratione animam suam e purgatorio erepturos divinamque indulgentiam certissime sibi re-

demturos. Sed ad hanc disciplinam, quam *poenitentiariam* vocant, cognoscendam praecipua illa genera commemorasse sufficiat.

§. 15.

*De zelo religioso.*

Si quis in hoc sibi elaborandum putat, ut de religionis suae veritate atque praestantia persuasionem cum aliis quoque, quos cultiores, perfectiores felicioresque reddere cupit, communicet et hunc in finem nihil adhibeat quod rationi humanitati que repugnet; hunc quidem non importuno at feroci, sed laudabile et quemcunque Christianum maxime decenti studio inflammatum quisque putabit. Sin autem coeco inpotentique religionis studio percitus, vel ut sacrorum suorum splendorem augeat, vel Dei favorem sibi conciliet, omnes a religione, quam unam veram et felicitatis futurae auctorem, credit alienos, severe damnat, ferociter persequitur ad eosque suis sacris addicendos qualescunque rationes vel ipsi religionis suae vi vel divinae benignitati et iustitiae repugnantes rectas iustasque habere non dubitat: nihil obstat quin atra eum superstitionis nocte circumfusum affirmemus. Cuius quidem studii nimius fervor Christianos, egregie hoc nomine indignissimos, olim impulit, ut quoscunque, eum qui maxime regnabat doctrinarum modum fideique normam aut repudiantes, aut infestantes, saevissime persequerentur

eosque ad suorum sacrorum rationi assensum praebendum ferro, supplicii atque tormentis subigere adniterentur. Illud atrocissimum studium fertilissimarum Americae regionum vastitatem effecit quietosque et mansuetos incolarum animos odio et furore complevit. Illud Joannem Hussium multosque alios viros, de hominum cultu optime meritos, rogo imposuit. Illud populabundum Bohemiam multasque Germaniae regiones peragravit. Ille omnino effervescens Christianorum furor intra xviii saeculorum spatium gravioribus vulneribus humanum genus effecit, quam per vim annos coecorum, quos vocant paganorum religiones.

Sed quantam quamque exitiabilem vim ad animi vires infrangendas, mentem humanam stuporis nebulis offundendam et fere omnia humanitatis vestigia prorsus delenda habeat non solum nimius illius studii impetus, sed etiam alterum quod in *satisfactionibus* positi moralis superstitionis genus, nullum omnino exemplum luculentius docere potest quam *expeditionum cruciatarum* historia. Nam tum zelo isto religioso concitati, tum certissima spe se divinum favorem peccatorumque veniam sibi comparaturos erecti, tum aliis causis, quas hic asserre ineptum foret, impulsu exeunte saeculo xi reges et principes, nobiles pariter atque ingens ignobilium multitudo, cuiuscunque aetatis et sexus, ad pontificis maximi nutum, relicta patria, in orientem profano barbarorum imperio sacram terram liberarent; laetissima nixi persuasionem, sese propter incredulorum



sanguinem largiter effusum eo certius futuram assecuturos felicitatem, cum eam a communi omnium Christianorum parente *indulgentiis plenariis* quasi perscriptam haberent. Verum quam infelicissime res gestae fuerint, quantam inde plurima Europae regna vastitatem quantam potentiae divitiarumque augendarum opportunitatem papae et clerici acceperint, quam infinitum in modum numerus superstitiosarum religionum, quae ad peccatorum poenas et indulgentiam maxime pertinerent, accreverit, et satis constat et hic fufus exponere a consilio foret alienissimum. Nihil igitur moratus quae supra promisi adgredior, paucis probaturus, eam quam *moralem* appellavi superstitionem in errore circa divinam iustitiam et benignitatem versari.

## §. 16.

*Docetur moralem superstitionem errorem esse, qui ad divinam iustitiam et benignitatem pertineat.*

Quilibet *moralis superstitionis* errore implicitus istas actiones, quarum nonnullas proximis §§. commemoravi, id potissimum agit, ut divinam benignitatem, qua ne sese indignum reddiderit vehementer timet, de novo sibi conciliet et iustitiam, cui meritas poenas persolvere debet, mitiget omninoque Deo sese gratum acceptumque reddat suamque adiuvet felicitatem. Si quidem ita fere ratiocinatur: si Deus animadvertit me

ad peccatorum poenas luendas eorumque condonationem impetrandam assiduis se fatigare precibus, quoscunque eosque crudelissimos cruciatus sponte suscipere, nullam suppliciorum foeditatem recusare, nulla periculorum atrocitate prohiberi, quo minus religionem, quam ipse innotescere voluerit, latius divulgare ab eaque alienos omnibus modis ad eam recipiendam adducam: fieri non potest quin divina benignitas atque iustitia commoveatur ad peccata non solum condonanda, verum etiam dignis praemiis me afficiendum. — Iste igitur superstitiosus tum Deo eandem benignitatis et iustitiae rationem, quam homini, tribuit, cuius misericordiam movere et a quo delictorum veniam redimere queat; tum persuasum habet, se in illas Dei virtutes vim exserere easque iis actionibus immutare atque dirigere posse, quae, ad solum corpus pertinentes cum animi emendatione non modo ullam habeant coniunctionem, sed ne rationi quidem et rectae Dei cognitioni convenient. Paucis ut complectar tota moralis superstitionis vis in eo cernitur, ut divina iustitia et benignitas ad humanae imperfectionem iudicetur. Quo cum ita sint, facile apparet, me cruciatus et supplicia, severa monachorum exercitia, haeticorum persecutiones aliaque huius generis merito ad superstitionum vanitatem retulisse. —

## §. 17.

*De iis quae ad superstitionem tollendam plurimum facere videntur.*

Jam cum ex parva hac tabella, in qua foedissima quaedam superstitionis genera obiter delineavi, satis intelligi possit, quot et quam tristia mala ex impurissimo huius erroris fonte in humanum genus redundaverint: nihil apparet esse prius nihil antiquius habendum, quam ut omnes eius stirpes funditus eiiciantur. *Instat enim, ait Tullius et quo te cunque verteris persequitur superstitio; sive tu vatem, sive tu omen audieris sive immolaris sive avem adspexeris; si ostenti simile natum factumve quippiam, quorum necesse est plerumque aliquid eveniat; ut numquam liceat quieta mente consistere.*

Sed quatenam demum rationes sint maxime idoneae, quibus huic malo occurratur, difficile est constituendum. Nam ad hominum animos superstitionum vanitate implendos tantum facit ratio quomodo quisque educatus, institutus moratusve fuerit, tantum corporis cuiusque constitutio, tantum diversa in qua quis versatur conditio et status, ut omnes eius vires nullo pacto prorsus infringendae esse videantur. — Verum satis est hoc in primis agere ut ne malum illud apud eos, qui eo impliciti iacent, latius serpat, sed magis magisque imminuatur, apud eos autem qui nondum a recta via deflexerunt ne reperiatur materia, qua innix-

um maiore indies incremento adaugeatur. Quae quidem ut efficiantur, magnam in primis vim in *legum quibus rerum natura regitur, cognitione* positam esse arbitror. Quilibet enim harum peritus in his rerum effectarum initia quaeret, nec extra naturalium causarum fines egressus ad deum quendam, qui illas continuo effecerit sibi confugiendum esse putabit. Neque fieri quidem potest, ut, cuius animus superstitionum vinculis confriectus teneatur, is ab opinionum, animo altissime impressarum, futilitate statim liberetur sibi que persuadeat, res tam miras tamque insolitas ex nullo alio fonte nisi ex causarum naturalium continuo nexu exoriri. Veruntamen ratio, somno quo oppressa erat experrecta, ad dubitandum simulabitur et phantasia, rerum sensibus non percipiendarum regionibus circumvagari solita, intra eorum quae sensibus animadverti possunt fines coarctabitur, et ut ita dicam de coelo ad terram revocata uni serviet rationi eiusque se legibus adstringi et contineri sinet: id quod quo saepius repetetur, eo celerius superstitio evanescet. Ad haec illustranda hoc exemplo uti liceat. Accidit nonnunquam ut ignis de coelo delabatur, unde pecudum luem variasque calamitates credula deducit hominum multitudo: quod quidem phaenomenon malaque insequentia rerum naturae legibus inniti ab omni opinionum vanitate liber facile sibi persuadebit. Et vero etiam is, qui superstitionis nebulis occoecatus causarum effectorumque naturalium nexum perspicere nequit, omniaque ad divinorum numinum vim referre

adfolet, si de veris harum rerum causis edoceatur atque haec institutio similibus in rebus saepius repetatur attentam adhibebit mentem et, licet non omnia penitus animo mentique mandet, paulatim tamen eius phantasia quae omnis fraeni inpatiens petulanter evagabatur, rationem optimam ducem sequi incipiet, atque adeo occasione oblata mens ipsa veras rimari causas adnitetur. Nihilo secius tamen excitata identidem superstitio animum occupabit semperque in mente residebit: et cum nunquam funditus extirpari possit ista ad res miras arcanas occultasque propensio, saepius accidet ut res quasdam non naturae viribus sed numinum hominibus superiorum potestate effectas opinetur.

## §. 18

Altera ratio, quomodo superstitiosarum opinionum fontes exsiccentur vertitur *in perfectionum Dei moralium recta cognitione*: id quod ex ea quam supra exposui superstitionis notione satis luculenter apparet. Nam si quis illarum naturam probe perspexerit, is vim in rerum humanarum ordinem perverse adhibitam Deo neutiquam tribuere, nec ullo modo sibi persuadere potest, summum numen, nullo causarum naturalium nexu adiutum, ea efficere, quae aut bonis malisve homines afficiant aut de futuris edoceant. Illa igitur cognitione imbutus intelliget v. c. opinionem de feditioibus, ad homines puniendos, ab ipso Deo conctatis, esse falsam divinaeque sapientiae, benignitati

et iustitiae prorsus repugnare. Neque enim quisquam nisi densissima opinionum caligine merfus persuasum habere potest, numen sapientissimum atque benignissimum cum homines meritis debitisque scelerum poen<sup>s</sup> afficere velit, liberas eorum actiones ita dirigere ut scelera atque flagitia committant, ut fractis quibus coercantur legum vinculis excussoque dominorum iugo, omnia divina humanaque iura evertant, summa misceant imis, suasque et aliorum populorum civitates ferro flammaque pervasent. — Jam hinc facile intelligitur, in quantos et quam foedos errores implicet moralium Dei perfectionum ignorantia; quam accommodatissima autem sit recta earum cognitio ad erroribus aditum plane praeccludendum, et ubi semel a vero deerratum fuerit in rectam viam reducendum.

At vero in hominibus superstitiosis de harum virtutum natura edocendis, eorum ingenio sentiendique rationi obsequendum omninoque non minus caute et prudenter agendum est, quam in puerorum animis ita formandis ut ne superstitionum pravitate aliquando corrumpantur. Neque enim fieri potest, quia pueri si priusquam rerum sensibus obnoxiarum causas intra naturae fines quaerere fuerint adsuesfacti, de iis quae sensibus percipere nequeunt, edoceantur, easque de Deo divinisque rebus ediscant cognitiones, quas nec capere nec subigere atque dirigere ullo pacto possint, in absurdissimarum opinionum errores rapiantur, nec vera cerne-  
re queant. Et vero etiam inde efficitur ut adsuescat  
animus

animus, non solum quaecunque praeter consuetudinem  
accidunt quorumque causas in rerum natura invenire  
nequit, a summo numine continuo effecta putare sed  
etiam omnino in agendo et iudicando nihil ad saeveram  
rationis normam exigere, sed incertum quendam con-  
sulere sensum: qui quidem cogitandi modus quam pla-  
nam latanque viam quibuscunque aperiatur erroribus  
non est quod moneam.

## §. 19.

Neque postremo vereor affirmare *in cultu divino*  
*quem religio praescribit christiana* tum eo qui ani-  
mum perfundere debet, tum, qui caerimoniarum sanc-  
titate continetur, permultum inesse momenti ad im-  
mensam superstitionis molem magis magisque atte-  
nuandam. Verum eam solam dico religionem quam  
Christus docuit, non quam aliae sectae aliarum et doc-  
trinarum et caerimoniarum superstitione adauxerunt.

Primum igitur ut inde incipiam unde omnis reli-  
gionis initia ducuntur, *cultus externus* qualem Jesus  
instituit ad superstitionem tollendam multum affert  
adiumenti. Nam cum apud alias gentes, christianae  
religioni non addictas, totius religionis vis caerimonia-  
rum fere contineatur superstitione, ea quae Christus  
ad externum cultum pertinere voluit longe aliter sunt  
comparata, quippe quae eatenus tantummodo momenti  
aliquid habent, quatenus vel sola interni cultus imago

et adiumentum esse debent iisque sensibus, quales Christianum maxime decent, excitandis et corroborandis inferviunt, vel ad eas leges sunt referenda quibus omnis societas a reliquis discernitur, obeundae illae quidem cuiusque societatis participi, licet cum ipsa religionis vi nullam habeant coniunctionem. Simul vero atque aliam externi cultus rationem statuerimus superstitio exoritur. Quod si v. c. *baptismatis* et *sacrae coenae* hanc maxime vim et consilium esse putamus, ut illo ritu Christianorum societati iniciemur hoc autem christianae religionis auctoris eiusque praeceptorum memoriam pie recolamus; nihil est quod superstitionis nomine notari possit. Sin autem persuasum nobis habeamus, aqua illa qua corpus abluitur animique quoque sordes maculasque elui, et sacrae coenae usum magica quadam vi nos a peccatis liberos reddere futuramque comparare posse felicitatem, ad superstitionum revolvimur pravitatem; cum et nullus, qui inter causas effectaque intercedere debet, nexus intelligatur, et istiusmodi ritibus vel quaedam divinam immutandi voluntatem perverse tribuatur.

Verum enim vero ad superstitionis nebulas diffandas multo maior vis quam in externo cultu sita est *in ipsa religionis christiana praestantia*, qua et de natura divina verissime edocemur et de iis, quae moralibus Dei virtutibus vel congruentia sint vel repugnantia, idoneam consequimur cognitionem. Quae quidem de divinis perfectionibus notiones etsi a Christo argumentis neutiquam sint confirmatae, curatius



tamen exploratae tales reperiuntur, quales ratio humana philosophando colligere et tanquam veras proponere potest. Quae cum ita sint, Christianus animo ingenioque liberaliter excultus, ipse quidem eruet meditando, quae naturae divinae vel convenient vel aduersentur: incultus autem et imperitus habet quo se convertat cum ad manus sint libri sacri, unde rationes praeceptaque hauriat, quibus superstitio si non stirpitus evelli, tamen certe comminui nocendique vis quae pollet magis magisque debilitari potest — modo iusta accesserit institutio, quod nisi sit, tantum abest ut illius animus ab opinionum tenebris liberetur, ut longè spissiore caligine circumfundatur. Idem vero, si ex illis libris recta institutione adiuncta cognoverit, Deum parentem hominum benignissimum nihil nisi liberorum suorum utilitatem spectare, eum non infelices sed felices reddere homines, non odio sed amore persequi, nihil crudeliter nihil iniuste omnia clementer et iuste agere, maximam denique eius potentiam summa dirigi et temperari sapientia neque quemquam unquam consilia eius indagare posse, sed in eo tanquam sapientissimo rerum humanarum moderatore laetissimam fiduciam collocare debere — hac igitur si innitatur persuasione, haud quaquam verendum est, ne superstitioni, cuius vinculis adstringitur turpissimis, vires addantur, sed magnopere sperandum, fore ut omnes eius stirpes si non funditus eiciantur, a latiori tamen propagatione arceantur.

---







Halle, phil. Diss., 1801-27

L

ULB Halle

005 579 805

3







Inches  
 1 2 3 4 5 6 7 8  
 Centimetres  
 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue  
 Cyan  
 Green  
 Yellow  
 Red  
 Magenta  
 White  
 3/Color  
 Black

LOSOPHICA  
 IATIONE  
 IDE  
 CELEBERRIMO  
 EBERHARD  
 ORE AC PROF. P. O.  
 EGIAE BEROLIN.  
 ASTADIENSIVM EPHORO  
 ICICCCI.  
 FENDET  
 R  
 NUS MILLIES,  
 TAVVS.  
 NUM  
 NNIGIANIS.

